



Jus Canonicum In V. Libros Decretalium Distributum

novâ Methodo explicatum, Omnibus Capitulis Titulorum (qui in Antiquis, & novis Libris Decretalium continentur) promiscuè & confusè positis, in ordinem doctrinæ digestis. Adjunctis Aliis Quæstionibus Connexis, Quæ Ad Plenam Cujusque Tituli, Aut Materiæ Cognitionem, Et Expositionem Pertinent. ...

Respondens Libro Quarto Decretalium : In Quo De Sponsalibus, Et Matrimoniis, & quae eis annexa sunt, agitur, eadémque plenè, & theoricè explanatur, & declarantur ...

Pirhing, Ehrenreich

Dilingae, 1678

Titulus. VI. De Qui Clerici, vel voventes matrimonium contrahere possunt?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98293)

soluta, sed etiam conditionalia per secutam copulam transeunt in matrimonium, quia tunc Ecclesia præsumit contrahentes recessisse à conditione, & voluisse purè, & absolute contrahere, nec admittit probationem in contrarium, *n. 21*. An si matrimonio sint adjectæ tales conditiones, v. g. contraham tecum, si te virginem invenero, vel si tecum rem habueris, &c. sint validæ, vel tanquam turpes rejici debeant? *num. 22*.

§. IV. Proponuntur, & resolvuntur aliæ nonnullæ quæstiones circa sponsalia, vel matrimonia sub conditione contracta?

Quæ. 1. An matrimonium contractum per verba de præsentis inter habiles sub conditione honesta de futuro, & contingenti, ut contraho tecum, si pater tuus consenserit, postea conditione sit validum, sine novo consensu utriusque conjugis? Resp. probabile est tale matrimonium statim perfici, impletâ conditione, sine novo contrahentium consensu, *n. 23*. Idque magis declaratur *n. 24*. Quæ. 2. An post Concil. Trident. requiratur ad valorem matrimonii, ut Parochus, & testes non tantum contractui sub conditione de futuro inito, sed etiam impleti conditionis interfuerint? Resp. probabile est requiri, quamvis sufficiat, si ipsi contrahentes coram Parocho, & testibus asserant postea, conditionem esse impletam, *n. 25*. Etsi verò talia matrimonia sint valida, non tamen facile sunt permittenda, sed tutius est, ut post impletam conditionem, consensus matrimonialis renovetur coram Parocho, & testibus, *cit. n. 25*. Quæ. 3. An si inhabiles ad matrimonium contrahendum per verba de futuro promittant sibi invicem, vel etiam de præsentis contrahant matrimonium sub conditione, si Papa dispensaverit, obligationem contrahant, & qualem, ante, vel post dispensationem? Resp. per se loquendo, non peccant, si sponsi sub tali conditione matrimonium sibi invicem promittant, *n. 26*. Probabile quoque est, matrimonium per verba de præsentis inter personas impeditas, seu inhabiles contractum, impetratâ dispensatione, purificari, seu perfici, absque novo consensu contrahentium coram Parocho, ac testibus expresso, *n. 27*. Probabilius tamen est, matrimonium sub conditione dispensationis Papalis contractum nunquam sine novo consensu coram Parocho, & testibus expresso perfici, *cit. n. 27*. Quæ. 4. Si quis sponsalia, vel matrimonium contraxit cum duabus, quarum, vel quod ex illis servandum sit, & validum? Resp. si quis cum duabus contrahat sponsalia sub conditione de futuro, etsi posteriorum sponsalium conditio prius impleatur, adhuc priora erunt valida, quoadcunque eorum conditio evenierit. Si quis verò cum duabus contraxit matrimonium, sub conditione pendente in futurum, illud validum est, cujus conditio prius impletur, sive illud primò contractum sit, sive posterius, modò tamen contrahens utrumque, quantum potest, velit esse validum, & neutrum consensum revocârit, *n. 28*.

§. V. An causa, demonstratio, vel modus adjectus contractui matrimoniali ipsum vitiet, vel suspendat?

ASSERTIO I. Demonstratio, vel causa, sive turpis sit, sive honesta, vel contraria substantiæ matrimonii, vera, vel falsa, per se nunquam suspendit,

nec vitiat matrimonium, sed semper habet non adjecta, & matrimonium valet, ut cum uxorem, quæ vel quia es sterilis, vel virgo. Aff. 2. Modus adjectus contractui matrimonii vitiat illum, nec suspendit, nisi sit contrarietatis, aut bonis matrimonii, *n. 30*. Modus adjectus matrimonio sit impossibilis, si repugnans substantiæ matrimonii, ut cum tecum eâ lege, ut digito cælum tangas, vel aureum mihi des: vel turpis, & illicitus, ut cum tuum interficias, tunc matrimonium validum pro non adjecto habetur, in favorem matrimonii, *n. 31*. Unde cognosci possit, utrum aliquis initus sit sub modo, vel conditione dicta, sive suspensiva, an verò solum sub modo, vel conditione non suspensiva? *n. 32*. Specialis conditio non suspensiva, sive modus impius, vel turpis, si non adversetur substantiæ matrimonii, ob illius favorem, *cit. n. 32*. Si manumitti sub ea conditione, seu modo, vel nactus, vel Clericus, *c. Cum sit. 2. h. 1. n. 33*. Titio Ecclesiæ, vel pio loco facta sub modo, vel à donatore postea revocari, nisi expressè sit ventum in donatione, quod si prædictum, non fervetur, possit revocari, *c. Verum. q. 1. c. 1. n. 34*. Idque declaratur *n. 35*.

SERIES CAPITULORUM

IN ANTIQUIS.

c. 1. n. 19.

c. 2. n. 33.

c. 3. n. 5. & 2. seqq.

c. 4. n. 34. & seq.

c. 5. n. 8. & 9.

c. 6. n. 10. & 11.

c. 7. & 8. n. 12.

quor. seqq.

TITULUS V. QUI CLERICI, VEL VO

matrimonium contrahere possunt.

§. I. Primum Ordo sacer dirimat matrimonium, & quo jure?

ASSERTIO I. Per Ordinem sacrum Presbyteratum, Diaconatum, & Subdiaconatum dirimitur matrimonium postea initum. Excipitur 1. nisi quis fuerit promotus in vim, seu metum gravem. 2. qui susceperit sacrum ante pubertatem, non obligatur ad continentiam ei annexam, *num. 2*. Clericus constitutus, si uxorem ducat, sit irregularis. Subdiaconus, qui de facto contrahit matrimonium, si ad Religionem transire voluerit, potest prius concedere, ut ad altiores Ordines promoveri possit. Si verò non vult ad Religionem transire, Subdiaconatu ministrare, neque ad altiores promoveri potest, in minoribus tamen ministrare poterit, *n. 3*. Qui in minoribus sunt constituti, possunt contrahere matrimonium, *n. 4*. Episcopus dispensare potest, ut eo in Sacris constituto, si cum unica, & legitime contraxit matrimonium: secus, si cum corrupta, vel cum eo Clerico in Sacris constituto contraxit, *n. 5*. Aff. 2. probabiliter, non jure naturali, vel Divino, sed jure ecclesiastico per susceptionem Ordinis sacri

matrimonium subsequens, n. 6. Cur per suscepcionem sacri Ordinis impediatur matrimonium contrahendum, ita ut valide contrahi non possit: non autem irritetur matrimonium præcedens etiam non consummatum? n. 7. Nullus, durante matrimonio, etiam non consummato, potest recipere aliquem ex Ordinibus sacris, nisi cum licentia uxoris Religionem ingredientis, vel etiam in seculo remanentis, & votum castitatis emittentis, si uxor sit suspecta de incontinentia, n. 8. Sed neque talis conjugatus Ordines minores recipere potest, ut est probabilius, n. 9. Quod si quis post matrimonium ratum, & non consummatum, in Sacris constitutus Religionem ingrediatur, & in ea profiteatur, potest Episcopus cum eo dispensare, ut in suscepto Ordine ministrare, & ad alios ascendere possit, n. 10. Est tamen talis conjugatus monendus, per Episcopum, ut Religionem ingrediatur, si matrimonium nondum sit consummatum, n. 11. Hoc est discrimen inter Græcos, & Latinos in sacris Ordinibus constitutos, quod illis licuit, post matrimonium initum, sacros Ordines suscipere, & matrimonio antea contracto uti, non autem Latinis, n. 12.

§. II. An, & quo jure votum solemne castitatis per professionem Religiosam matrimonium postea initum dirimat? & an etiam votum simplex castitatis impediatur matrimonium, idque dirimat?

ASSERTIO I. Votum solemne castitatis per professionem Religiosam emissum dirimit matrimonium subsequens, non autem si solum fuit votum ingrediendi Religionem, licet postea matrimonium contraxerit, c. *Memimus*, 3. h. t. quamvis impediatur matrimonium contrahendum, n. 13. & 14. Aff. 2. Votum solemne castitatis editum in Religione, non jure naturali, ac Divino, sed solo Ecclesiastico irritum reddit matrimonium subsequens, n. 15. Votum solemne castitatis etiam per professionem tacitam emissum impedit, ac dirimit matrimonium postea contractum, c. 7. & ult. h. t. n. 16. Declaratur n. 17. An & quando votum solius v. g. castitatis, & sic unius tantum ex substantialibus, si emittatur in ordine ad certam Regulam approbatam, & in manibus habentis potestatem admittendi, fiat solemne, & veram professionem inducat? n. 18. Professio fieri potest etiam in manibus privati Religiosi alicujus habentis ad hoc speciale mandatum, n. 19. Potest Religiosus licite retinere bona sua quoad usumfructum, vel usum, cum licentia Superioris, & dependenter ab ejus voluntate, n. 20. Susceptio habitus professorum extra Religionem à non habente potestatem admittendi ad Religionem, impedit matrimonium contrahendum, non autem dirimit contractum, c. *Consuluit*, 4. h. t. n. 21. & 22. Quando per assumptionem habitus professorum extra claustrum Monasterii fit votum solemne, ita ut impediatur, & dirimat matrimonium postea contractum, vel non? n. 23. Aff. 3. Votum simplex castitatis impedit, ne matrimonium licite iniiri possit, non tamen dirimit postea initum, sed tale matrimonium validum est, non obstante voto simplici castitatis, c. *Rursus*, 6. h. t. n. 24. Votum simplex, & solemne non differunt per se, ac ex natura sua, sed solum ex Ecclesiæ Constitutione accidentaliter, & extrinsecè, n. 25. Ex Constitutione Gregorii XIII. tria vota simplicia Societa-

tis JESU post biennium probationis emissa, irritant matrimonium postea contractum, non tamen dirimunt matrimonium antea contractum, n. 26.

§. III. An per votum simplex castitatis dirimantur præcedentia sponsalia de futuro?

Mulier, quæ promisit se alicui nupturam, & postea vovit castitatem, ideoque sponsus aliam duxit, si non valet continere, sed timet, ne in fornicationem incidat, potest petere dispensationem in voto, & nubere alteri, imposita ei penitentia, ob fidem non servatam, & votum violatum, c. *Veniens*, 5. h. t. n. 27. Ubi certum est 1. per votum ingrediendi Religionem dissolvi priora sponsalia. 2. per votum simplex castitatis perpetuæ præcedens sponsalia illa irritari, quia continent promissionem rei illicitæ. 3. quando unus ex sponsis castitatem vovit, alter à sponsalibus servandis liber est, quia vovens censetur illis renunciâsse, n. 28. Probabile est, sponsalia de futuro dissolvi per subsequens simplex votum perpetuæ continentia editum animo permanendi in seculo, ita ut vovens non possit matrimonium antea promissum inire: quare si quis post votum castitatis editum, contrahat cum alia matrimonio, violabit quidem votum, non tamen fidem priorum sponsalium, quia ea jam per votum omnino erant dissoluta, ut colligi videtur ex cit. c. *Veniens*, 5. h. t. n. 29. Verum probabilius est, per votum simplex castitatis editum post sponsalia prius contracta, illa non dissolvi, n. 30. Quid in praxi in hac questione faciendum? n. 31. An Episcopus possit dispensare in voto castitatis perpetuæ? n. 32.

SERIES CAPITVLORVM.

IN ANTIQVIS.	c. 5. num. 27. & aliquos
c. 1. n. 1. & seqq.	seqq.
c. 2. n. 3. & 2. seqq.	c. 6. n. 24. & seqq.
c. 3. n. 13. & 14.	c. 7. ult. num. 16. &
c. 4. n. 21. & 2. seqq.	seqq.

TITVLVS VII.

DE EO, QUI DUXIT IN MATRIMONIUM, QUAM POLLUIT PER ADULTERIUM.

§. I. An, & quando adulterium dirimat matrimonium subsequens?

ASSERTIO I. Adulterium dirimit matrimonium subsequens, si vir, vivente legitimâ uxore, cum alia per verba de presenti matrimonium contrahere attentavit, vel saltem de matrimonio post mortem prioris conjugis contrahendo promissionem fecit, n. 1. Aff. 2. Siquis vivente legitimâ suâ uxore, cum alia contrahat matrimonium ignorante primam uxorem ipsius adhuc vivere: is mortuâ primâ uxore, si petat à secunda separari, non debet ab illa separari: quamvis secunda possit à viro, si velit, discedere, c. 1. h. t. n. 2. Duo sunt casus, in quibus propter adulterium prohibetur matrimonium iniiri inter adulterum, & adulteram, n. 3. Solum adulterium non sufficit ad dirimendum matrimonium subsequens, sed insuper requiritur, ut vir promiserit matrimonium adulteræ, vel ut actu cum illa contraxerit, vel ut adultera in mortem prioris uxoris machinata fuerit, cit. n. 3. Potest tamen is, qui vivente marito, conju-

gem